UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 115. Franciscus Xaverius ad Mauricas Insulas profectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66608

Visual Library

Sæcul. XVI. A.C 1547.

gis Chriſtianæ Religionis fervorem rurſus accendere cæpit, omnes ſacris doctrinis imbuendo, ac Sacramenta adminiſtrando, unde divinum Verbum potenti Dei brachio ſuffultum, ac per ejus famulum efficaciter prædicatum inter Moluccenſes miram operabatur mutationem; quippe non pauci concubinis aſſueti luxuriæ flammam conjugii honeſtate extinquebant, fœneratores iniquo quæſtu parta reſtituebant, & incolæ mores ſuos corrigebant, ac demum impii contractus declarabantur invalidi, necnon juvenum aures tot doctrinæ Chriſtianæ præceptis implebantur, ut univerſa urbs non niſi ſacris cantilenis, quas ejus incolæ didicerant, reſonaret.

§. CXV.

Franciſcus Xaverius ad Mauricas Inſulas profectus.

Tandem Xaverius Ternate Mauricam, ſeu ad Mauri Inſulas pervenit, ibidemque non paucos, quamvis gens eſſet prorſus barbara, humanitatisque expers, inter mille pericula, atque ærumnas ad Chriſti vexilla reduxit. Equidem amici, ut Xaverium ab hoc itinere abſterrerent, omnem movebant lapidem, veriti, ne ab hiſce incolis tanquam extremæ ipſorum crudelitatis victima abſu-

Orland. l. 6. n. 102. Turſelin. Ibid. l. 3. c. 2. Orland. l. 7. n. 10. & ſeq.

Sæcul. XVI. A. C. 1547.

meretur: verum hæc diſcrimina nullatenus Xaverii ardorem reſtinguere poterant, dumque nonnulli Gubernatorem, ut Xaverio navigii opportunitatem adimere vellet, hortarentur, Xaveriumque adeuntes eadem pericula, mortisque certitudinem, cui ſeſe exponeret, ei exaggerarent, hic illis reſpondit: *nulla formido pericula, nullumque genus mortis, ubi de Dei cultu, & animarum ſalute agitur, mihi certum, deliberatumque eſt in Mauricam Deum vocantem ſequi.* Itaque ſuos amicos valere juſſit, ac navigationi proximus nuntium longe acceptiſſimum accepit; literis enim ſignificabatur, quod novem Societatis alumni e Luſitania Goam advecti eſſent, atque inter eos quinque Sacerdotes Franciſcus Peres, Alphonſus Cyprianus, Henricus Henriques, Franciſcus Henricus, & Nunnius Ribera præter ceteros quatuor nondum Sacris initiatos, Balthaſarum Nunnium, Adamum Franciſcum, Nicolaum Nunnium, & Emanuelem Morales. Horum ergo cuilibet Xaverius in variis Provinciis ſuum diverſorium deſignavit, ipſe vero poſtea Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto Menſe Majo ex Ternate, cum ſolviſſet, ad Inſulam Mauricam incolumis pervenit.

§. CXVI.

Sæcul. XVI.
A C. 1547.

§. CXVI.

Ternatem, & Malacam reverſus, indeque Goam appulſus.

Igitur Xaverius feros illius Inſulæ homines mitioribus ingeniis imbutos ad Chriſtianæ vitæ mores revocavit, eisque fervidis admodum ſermonibus inferorum pœnas expoſuit, in quas impii per omnem æternitatem damnandi præcipites ruerent, & perpetua divinæ vindictæ, quam ſpreverunt, victima exiſterent. His tamen minis Xaverius duntaxat illos territabat, apud quos æque miſeratio, ac captandæ benevolentiæ ſtudium Chriſtiano Apoſtolo dignum nihil amplius proficiebat. Diverſis itaque mediis in procuranda Mauricenſium ſalute adhibitis, ac plusquam viginti quinque millibus ſacro fonte ablutis Molucum inde repetens Ternatem reverſus eſt, atque ab incolis ingenti gaudio exceptus, integrum ſemeſtre cum illis verſabatur, ibidemque opitulante Luſitano Rege ſocietatis ſuæ domicilium inſtituit. Poſtea Amboinios reviſurus, eos in fide jamjam annuntiata confirmavit, caſamque exiguam ſibi, ſuoque ſocio e ſtramentis extruxit. Huic ex eodem opere adjecit ſacram ædiculam, ubi nautis, & claſſiariis Confeſſionis, ac

Bouhours vie de S. Xav. l. 3. p. 102. & l. 4. p. 215.